... scopus Crac.

Lubomierski Nicol. Illustrissimo et Rmo D. D. Petro Tilicki, Episc. Crac. felicem primum in sui episcopatus ingressum hieroglyphico tetrastichno gratulatur.

Crac. in off. Nicol. Lob. 1607.

ILLVSTRISS: ET REVERENDISS: D.

D. PETRO TILICKI,

EPISCOPO CRACOVIEN: DVCI SEVERIENSI.

FELICEM PRIMVM IN SVI EPISCOPATVS INGRESSVM,

Hieroglyphico Tetratechno.

GRATVLATVR

NICOLAVS LVBOMIERSKI.

CRACOVIAE,

In Officina NICOLAI LOB: Anno Domini,


M. DC. VII.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D.

DOMINO PETRO TILICKI,

EPISCOPO CRACOVIENSI, DVCI SEVERIENSI.

HOnores tibi nouissimè decretos, Antistes Amplissime, nemo ex omnibus qui te nôrunt, tuis, quá in Deum, quá in Patriam, meritis, non minores asserit. Ego, qui nescio quid benignioris fortunæ à te mihi polliceor, his fortasse plura dicerem, nisi odiosum assentatoris nomen Syrte magis vitarem: ausim tamen cum constanti publicæ famæ consensu affirmare, omnes dignitates, quibus hactenus in Repub: summâ cum gloria functus es, magis virtute & doctrina à te ornatas fuisse, quàm te ab illis; vt omninò dubitem, naturæ an fortunæ muneribus magis polleas, vtraque enim apud te munificentia vincere certat, cùm illa dignitatem corporis, oris gratiam, ingenium sublime, suaue eloquium contulit: hæc opes, honores, & id genus, quæ multi vituperant potiùs quam fastidiunt. Quapropter obuiam tibi bene ominantium multitudinem conspicatus, temperare mihi non potui, quin ego quoque aliquod inertis ingenij munusculum offerrem, quod è sacris Aegyptiorum mysterijs non sine labore petitum, sacratissimæ dignitati amplissimoque honori tuo, quodammodo conuenire existimaui. Omnium quippè mortalium linguis ingenijsque in tuas laudes effusis, me solũ tacere, quã rudi (quod aiunt) Mineruâ diuinas tuas dicere virtutes, maius piaculum credidi. Tuum porrò erit, Præsul Illustrissime, mihi qui hoc primùm in votis pono, vt Musas meas tuis dignissimis laudibus occupem, fauoris tui præferre facem, qua duce fretus in ambitiosi huius sæculi tenebris, quiduis potiùs quàm bonarum litterarum studium deserendum censeam.



AD LECTOREM.

OEdipe, quisquis ades, patriis te inuitat Anubis
Ritibus; explora ingenium, penitusq́ reuolue,
Si quid in arte vales, naturæ arcana parentis.
Dena super sex verba leges, numeroq́ coërcens
Quo Pontum Geticis Vates Romanus in oris, Anagramma,
Viue pius semel inclama, mox adijce simplex
Nomen ab officio: tum dêinde hærentis aquai
Euentus dubij: vim visq́ ab ouilibus arcet.
Ex his nomen, honor, faustum fauentibus omen
Clamantûm, Viuat fœlix, frustra impius atrâ
Bile tumet centumq́ hortatur sibila liuor.
Hæc tria ter repetita dabunt: verùm integer vltrà
Ætatis medium & quinas tenet ordo figuras.
Collige. fune liga decies mirabile sertum Grammatosyllexis. Typogrammatice.
Implicitans: quo ter posito, ter fonte salubre
Audax merge decus frontis, totiesq́ rapaci
Carpe manu Pœnos fructus; semel adyce cornu,
Tantundem Lunæ; medio contenta catena,
Et tenuis riuus. bis trina volumina versat
Anguis. centenam de mille age diuide partem,
Hastisq́ pedibusq́ gruum æquâ lance ministra.
Laxa arcum, venerare crucem, falx tertia messem
Suppeditat. tandem bis septem ingentia Memphis
Saxa dabit. numero impleto quæ diximus ante
Compone, & geminum de nomine & omine carmen.
His ita perfectis, cui me, Musasq́ canentes,
Et priscum Phariis Horum gaudensq́ lubensq́
Nunc primùm voueo, postquàm inuida fata tulerunt,
Vnus qui nobis poterat terramq́ polumq́,

Et ma-

Et magnum donare Iouem, sic denique mecum,
1. *Intrepidus lauda. partâ iam pace per orbem*
2. *Sarmaticum, concessus honos & sacra potestas*
3. 4. *Cui virtus solersq; animo prudentia. quid ni*
5. 6. 7. *Ecclesiæ spondenda salus de mille venenis?*
8. *Hoc duce vincla cadent scelerum: nam scilicet illud*
9. *E cœlo nomen. sacras exculta per artes,*
Et diuûm melior monitis, attollet in auras
10. *Relligio sublime caput ritusq; parentum*
11. *Antiqui: hic illi labor indefessus & ardor.*
12. 13. *Viuat io longum fœlix, quo perpetuum Ver*
14. *Sospite sperandum & læto grauis vbere gleba.*
Fide Deo constans, vix te, si vera fatetur,
15. *Nobilitate prior Arcas. Viden' improba cedit*
16. *Inuidia, & virides profert victoria lauros.*
Iamné tenes tandem Nili secreta latentis?
Vtere sorte tua; & quæuis tibi præmia poscas,
Spondeo digna tuis ingentibus omnia cœptis,
Sceptra etiam serpentis aui, thalamosq; Iocastæ.